

sibi proponet in istis tribus generibus orator? C. P. Delectationem in exornatione: in iudicio aut severitiam, aut clementiam iudicis: in suasionem autem, aut spem aut reformidationem deliberantis. C. F. Cur igitur exponis hoc loco genera controuersiarum? C. P. Ut rationem collocandi ad finem cuiusque accommodem. C. F. Quoniam tandem modo? C. P. Quia quibus in orationibus delectatio finis est, uarij sunt ordines collocandi. Nam aut temporum seruatur gradus, aut generum distributiones, aut à minoribus ad maiora ascendimus, aut à maioribus ad minora delabimur, aut hæc inæquali uarietate distinguimus, cum parua magnis, simplicia coniunctis, obscura dilucidis, læta tristibus, incredibilia probabilibus inteximus, quæ in exornationem cadunt omnia. C. F. Quid in deliberatione, quid spectas? C. P. Principia uel non longa, uel sæpe nulla. Sunt enim ad audiendum, qui deliberant sua causa

B 2

parati,